



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Corona Avrea Svper Mithram Romani Pontificis**

**Raynaud, Théophile**

**Romae, 1647**

Collorarium ex S. Bernado, qui frucuts ab ipsomet Pontifice, è tot suis ornamentis legendi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10481**

## C O R O L L A R I V M

ex S. Bernardo.

*Qui fructus ab ipsomet Pontifice, è tantis suis ornamentis legendi.*

**H**Actenus de fructibus, quos fideles quique, ex propositis tam multis, tamq. magnificis Romani Pontificis titulis, possunt decerpere. Sunt etiam benè multi fructus morales, quos eum par sit colligere ex iisdem titulis, quem Dominus constituerit super familiam suam, collocans eum cum Principibus, vt folium gloriæ teneat. Pateret latissimus ad excurrendum campus, nisi nos S. Bernardus, luculento, nec satis vnquam laudato opère de consideratione ad Eugenium Papam, eo labore liberasset; Adeò quippè & accuratè, & piè maiestatem Pontificiam, & conuenientia ei decora toto eo opere expressit, quamque monstruosum sit (vt lib. 2. cap. 7. loquitur) in summo illo gradu animum habere infimum demonstrauit, vt superuacaneum sit quicquam addere. Oculum (vt ita dicam) totum, super omnia corporis Christi membra, peruigilem, eum esse vult, qui titulis propositis sit à Deo honestatus. Sic enim lib. 3. cap. 5. affatur Eugenium. [ Superest vt generaliter super vniuersum Ecclesiæ statum intendat consideratio tua. Si plebes clericis, si clerici Sacerdotibus, si Sacerdotes Deo, in ea qua oportet humilitate subiecti sint. Si in monasterijs & religiosis locis seruetur ordo, vigilet disciplina. Si super praua opera & dogmata, censura Ecclesiastica vigeat. Si floreat vineæ honestate, & sanctimonia Sacerdotum. Si flores fructus parturiant obedientiæ fidelium populorum. Si demum vestra ipsorum Apostolica mandata & instituta, ea qua dignum est sollicitudine obseruentur, ne quid in agro Domini tui, aut neglectu incultum, aut fraude surreptum inueniatur. ]

Deni-

Denique cuiusmodi & quoad se, & quoad alios esse oporteat, eum qui in tam sublimi specula locatus est, & tantis titulis decoratus, sic breuiter exprimit lib. 4. cap. ultimo, agens cum Eugenio. [ Oportere te esse considerandum, formam iustitiæ, sanctimoniam speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, Doctorem gentium, Christianorum Ducem, amicum sponsi, sponse paranympum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum aduocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, Iudicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, vltorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum Tyrannorum, Regum patrem, legum moderatorem, Canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, Sacerdotem altissimi, Vicarium Christi, Christum Domini, postremò Deum Pharaonis. ] Meritò nexuit duo illa, præesse sibi morum sanctitate, & præesse alijs. Nam iuxta Paulinum Carm. ad Cytherium,

*Sic facile proprijs absolutus vinculis  
Solui docebit crimine,*

*Bonusque meritis vir gubernator, suam  
Et Ecclesiæ nauem reget.*

*Nam quomodò ille præsidebit proximis,  
Præesse qui nescit sibi?*

Vt autem admoneatur Pontifex sibi ipsi præesse accurate, cum primùm ad alios regendos assumitur, qualiscunque demum antèriùs fuerit; inductum idcirco esse, vt ferè mutetur nomen assumpto in Pontificem, præclare obseruauit Petrus Lombardus ad initium Epistolæ ad Romanos.